



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Varij errores Hæreticorum. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Etum est, præfens controuersia non est, an detur in alio aliqua causa meritoria, seu imperatoria nostræ prædestinationis, sed an in nobis aliqua esse possit nostræ prædestinationis. Quomodo autem in alio detur, tractabimus solito tam hereticorum, quam Catholicorum diuersa placita, & sententias recensentibus, & ex Catholicis eas in primis, quæ à communi, & vñtata acceptione prædestinationis aberrant; hæc namque non tam re ipsa, quam voce veritati aduersantur. Vltimo tandem eorum opiniones annumeremus, qui iuxta communem August. & Patrum definitionem loquentes de prædestinatione aliter sentiunt, quam deberent, vt tandem veritatem re ipsa, & modo loquendi Sanctorum Patrum, Scripturæque magis consonam adstruamus.

CAPVT II.

Varij errores hereticorum.

Sunt in hac controuersia varij errores non solum hereticorum, sed etiam aliquorum virorum, qui Catholico nomine censentur, licet non tam manifesti. Referam igitur prius in hoc capite eos errores, de quibus minor est controuersia, & magis aperte damnati sunt, deinde in processu, prout ipsa disputatio postulauerit, aliorum Catholicorum sententias commemorabo, & quid contineant erroris, aut periculi, ostendam. Primus error fuit Manichæi, qui, cum negaret in nobis liberum arbitrium, & salutis æternæ in diuersum corporis temperamentum, & habitudinem ex variis constellationibus prouenientem, reiciebat. Hunc errorem eleganter confutant August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. & Hieronym. Epist. 8. quæ est ad Demetriadem circa finem: vñt per lib. 1. de vocatione gentium ca. 14. alias 5. ante medium. In Priscillianistis eundem damnat errorem: Leo 1. Epist. 9. ad Turibium ca. 11. & Gregor. in hpmi. 10. super euang. Est autem contra Scripturam Ieremiæ 10. A signis cæli nolite timere, quæ gentes timeant. Et refellitur manifeste ex illo Paulo ad Romanos 9. Ex eodem concubitu Isaac Patri nostri, &c.

Secundus error fuit Origenis, qui causam reprobationis, & prædestinationis in hac vita dicebat, esse opera, quæ fecimus in alia vita priori. Putauit enim animas creatas fuisse cum Angelis ante mundum visibilem. Eundem errorem refert Hieron. Epist. 150. quæ est ad Hedibiam q. 10. ex Platone in Timæo. Eiusdem etiam meminit idem Hieronym. in illa Epist. 8. & in magis commentarijs Epist. ad Galat. in illud 1. cap. Cum placuit ei, &c. Nullibi tamen eum tribuit Origini; recentiores vero Theologi Origeni merito adscribunt, vt Driedo opusc. de concordia lib. arbit. & prædestin. part. 1. cap. 3. & alij. Ex antiquis vero Epiphanius in Epist. ad Ioannem Episc. Ierosolym. quæ habetur in fine suorum operum, & inter Epistolæ Hieron. est 60. Dicebat enim Origenes, vt refert Epiphanius, animas hominum, & post peccata in alia vita commissa immixtas fuisse in corpora veluti in ergastula, vt pœnas antiquorum peccatorum luere, ideoque dictas fuisse Græce *Λογὰς ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν* quod est frige facio, si u refrigerio. Quia è cælo ad inferiora demissa pristinum calorem amiserunt corpus autem dictum fuisse *σῶμα* quod interpretari possumus Cæca hoc est, sepulchrum, vel monumentum,

Hunc errorem non obscure indicauit Origen. 3. lib. *variachon* cap. 1. circa finem his verbis. Cum ergo vna omnium sit natura rationabilium creaturatum, ex ipsa Deus secundum præcedentes meritorum causas, sicut ex vna massa figulus creauit, & plastuauit alios quidem ab honorem, alios autem ad contumeliam. Clarius 2. *variachon* cap. 8. & 9. vbi Etymologiam non inis 2. 2. id est, Anima, adducit: & in eandem causam refert, quod quidam hebetioris, alij vero acutioris ingenij nascantur. Hunc errorem damnavit 6. Synodus generalis actione 12. & Concl. Lateranense sub Leo. 10. less. 8. vbi definitur, animam esse vere formam corporis, quæ ante ipsum non fuerit producta. Et confutatur ex illo ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni, aut mali gessent*, & ad Rom. 11. frustra enim admirans Paulus profunditatem diuini consilij, quod rami, qui naturales videbantur, scilicet Iudæi, absunderentur, & extranei insererentur, diceret, *O altitudo diuitiarum, &c.*

Tertius error fuit Pelagij, & Cælestij, & eorū, qui Pelagiani dicti sunt, qui eodem modo de prædestinatione, & de gratia loquebantur: eandem enim antiquitus fuisse quæstionem de gratia, & de prædestinatione inter Pelagium, & Catholicos, notauimus disput. 89. cap. 4. Dicebat ergo Pelagius hominem prædestinari à Deo in vitam æternam ex meritis, & iustificatione proprii arbitrij, sicut etiam putabat, in tempore adultis beatitudinem ex meritis propriis conferri, & sic nullam prædestinationem gratiæ, & donorum, quibus homo consequeretur vitam æternam, censebat esse necessariam, quia necessitatem gratiæ ad iustificationem, & merita priorius negabat. Hoc sensu prædestinationem ad gloriam solum in decreto dandi illam confluebat, & eam ex meritis arbitrij fieri dicebat. Sed sicut fatabatur etiam nos aliquando iustificari, & vitam æternam mereri gratia Dei, quæ non ad simpliciter, sed ad facilius ista præstandum tribui existimabat: ita concedebat aliquando esse prædestinationem gratiæ ad vitam æternam, id est, æternam præparationem donorum gratiæ, quibus homo iustificaretur, & vitam consequeretur æternam; eam tamen fieri dicebat ex meritis cõdignis arbitrij, sicut etiam gratiam in tempore ex eisdem meritis dari affirmabat. Quæ omnia satis constant ex ijs, quæ ca. illo 4. diximus: eundem enim ordinem seruati in tempore, & in æterna Dei prædestinatione, vt id, quod ex meritis datur, prædestinetur ex meritis, ibidem, & ca. 9. ex natura rei, & ex mente Augustini satis probauimus, & ita eandem omnino olim fuisse quæstionem, an aliquid daretur ex meritis, & prædestinaretur ex illis.

De paruulis vero, sicut dicebat Pelagius non nasci in peccato originali, egere tamen baptismo, vt consequantur vitam æternam, asserbat etiam, eos prædestinari ad gloriam per baptismum, quo iustificandi erant, & constituendi filij Dei. Id vero de baptismo paruulorū dixisse, colligitur ex Concilio Mileu. & Arelat. quæ infra citabimus, & refert August. lib. 1. de peccat. merit. & remis. cap. 18. & 19. Nec obstat, quod idem August. epist. 106. post medium affirmat, ex sententia etiam Pelagij, paruulos baptizatos vitam æternam, etiam si sine baptismo de visionis Dei, sed aliam inferiorem, vt testatur idem August. c. illo 12. citato.

Hic error Pelagij, quod attinet ad adultos, damna.

Error Manichæi de prædestinationis causa.

Augustin. Hieronym. vñt per. Leo. 1. Gregor. Ieremias. Ad Rom. 9.

Error Origenis asserentis opera in alia vita facta causam esse nostræ prædestinationis.

Driedo. Epiphanius.

Origen.

Cartaginens. damnatur in Concilio Mileuitan. præsertim can. 3. 4. & 5. in epist. 90. Aug. quæ est Concilij Cartaginensis ad Innocentium, & aliis in illo 4. cap. allegatis. Illud vero de paruulis damnatur in Concilio Mileuit. can. 2. & Araulic. 2. can. etiam 2. Sed in eo quod asseruit, paruulos per baptismi gratiam ad gloriam destinari, recte sentit. nec eius sententia improbari potest. Alius enim error, qui dicebat paruulis concessum, aut negatum fuisse baptismi propter opera, quæ alias si vixissent facturi præstebantur, non legitur fuisse Pelagij, sed eorum, qui dicebantur de reliquijs Pelagianorum, & alias viri Catholici erant, Massiliensium videlicet. quorum caput fuit Cassianus, vt cap. illo 4. notatur: quorum etiam sententiam, quod ad prædestinationem adultorum spectat, quod multi Scholastici cum eis conueniant, & in ea nostræ disputationis cardo vertatur, cap. 8. & seqq. referemus, nunc vero errorem, quem de paruulorum prædestinatione docuerunt, recensere, & paucis confutare libet.

Quartus igitur error, qui Pelagio tribui solet, est, paruulis, qui in infanti ætate decesserunt, concessum, aut negatum fuisse baptismum, ac proinde saluos, aut damnatos fuisse propter opera bona, aut mala, quæ alias, si vixissent facturi erant. Hunc errorem referunt *August. epist. 105 & 106. 1. lib. de prædest. Sancti cap. 12. & 13. & 1. lib. de bono perseu. c. 9. & 10. Prosper, & Hilari. in epist. ad August.* quæ sunt ante libros de prædest. Sancti. & idem *Prosper 1. de vocatione Gentium. cap. 12. alias 7. nullus tamen illum adscribit Pelagio, & Cælestio, sed Massiliensibus, neque cum doctrina Pelagij omnino consentit.* Nam, vt proxime dicebam, ille negabat, pueros nati in peccato originali, & ita, si sine baptismo decederent, non damnandos poenâ aliqua, imo quandam vitam æternam, sed felices habituros existimabat. At Massilienses, cum contenderent adultis gratiam primam fuisse concessam intuitu aliquorum bonorum operum, aut bonæ voluntatis, vt Deum ab acceptatione personarum vindicarent, & ita ex hoc bono initio liberi arbitrij fuisse per gratiam Dei ad gloriam prædestinatos, & à massa perditionis discretos: cumque, vt testatur *Prosper* locis allegatis, eos vigerent Augustiniani exemplo paruulorum, ex quibus quidam sine meritis prædestinati sunt, alij vero reprobati: pressi hoc argumento dicebant, hos quoque ex operibus arbitrij, quæ alias, si vixissent, facturi erat, prædestinatos fuisse, & reprobatos: & ex his operibus discretionem à massa perditionis factam fuisse: quia propter illa concessa fuit illis, & prædestinata, aut omnino negata gratia baptismi.

Hanc sententiam, censent errorem esse manifestum Augustinus, & Prosper locis citatis: & confutant ex illo ad Rom. 14. & 2. ad Corinth. 5. Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt refert vnusquisque secundum ea, quæ in corpore gessit, siue bonum, siue malum. Vbi notat Augustinus non dixisse Apostolum, Quæ gessurus erat, sed, quæ gessit, vt ostenderet coram, quæ quis gessurus erat, nullam esse habendam rationem. Profert etiam contra eosdem illud Luc. 10. Si in Tyro, & Sydone, &c. & illud Sapient. 4. Raptus est, ne malitia mutaret, intellectum eius. Ex quo iure optimo dixit August. abhorrere à Christianis sensibus talia delicta, quæ vere non sunt committenda, à Deo tam seuerè puni-

ri, cum nullus sit tyrannus, qui talium delictorum rationem habere possit, vt puniat. Hæc autem de erroribus, qui etiam ab Scholasticis nostris manifesti essent, dicta sufficiant. Nam quod Massilienses de adultis non sine errore docuerunt, ca. 8. referemus: & quoniam Scholastici cum illis conueniant, monstrabimus.

CAPVT III.

Quosdam ex meritis gratiæ condignis prædestinatos fuisse docuerunt Okam, & Gabr. alij vero Doctores ad gloriam omnes sic prædestinatos arbitrantur.

Explosis iam manifestis hæreticorum erroribus, sententias Scholasticorum recensere necesse est: atq; in primis eas, quæ minus re ipsa Augustino aduersantur, & forsan solo modo loquendi ab eius opinione differunt. Primo opinio sit *Okami in 1. d. 41. q. 1. & Gabr. q. 1. art. 2. & a. 1. dub. 1.* qui sicut de electione ad gloriam docuerunt, sic etiam de prædestinatione asserunt, quosdam, nimirum eximie Sanctos, prædestinatos esse ad vitam æternam, nullis adhuc præiis meritis etiam gratiæ; reliquos vero omnes ex meritis gratiæ præiis fuisse prædestinatos. Qui, licet primo aspectu videantur cum Pelagianis, & Semipelagianis conuenire, & Augustino, Catholicaque sententiæ opponi, re tamen nihil contrarium doctrinæ præiis prædestinationem diuersa quidem ratione, quam August. libris de prædestinatione Sanctos, & de bono perseverantia, & a libris sæpenumero, ubi contra Pelagianos, & Semipelagianos de gratia, & prædestinatione disputat. Nam Gabriel & Okam nomine prædestinationis intelligunt Dei decretum, & voluntatem efficacem dandi beatitudinem, quam nos electionem appellamus disput. 89. & 90. ex mente Sancti Thomæ & Augustini, uterque enim, & Scholastici communiter prædestinationem dicunt, esse præparationem donorum gratiæ, quibus homo ad vitam æternam perducitur.

Verum, cum Catherinus re ipsa Okamo, & Catherinus Gabrieli consentiat, vt disput. illa 90. vidimus, differt tamen in modo loquendi, quoniam prædestinationem non vult vocare quamlibet voluntatem dandi gloriam ante præiis merita; & ita, cum in vniuersum adstruat, prædestinationem quorundam sine meritis factam fuisse, sicut etiam eximiam electionem, ceteros vero ex meritis gratiæ saluari, & vitam æternam illis fuisse præfinitum; nihil contra Gabrielem, & OKamum re ipsa docet.

Cæterum recentiores aliqui eodem modo prædestinationem usurpantes pro sola voluntate dandi vitam æternam, dicunt, omnes nemine excepto, prædestinatos fuisse ad gloriam ex meritis gratiæ præiis. Sicut tradit *Oforius lib. 9. de iustitia* à nobis etiam allegatus, disput. 89. cap. 2. & multi Theologiæ professores huius temporis, per Galliam, & Germaniam, quod contra Caluinum ad defendendam nostram libertatem accommodatior eis videatur, atque eodem modo videtur intelligere *Maior in 1. d. 40. q. 2. & expresse ita loquitur, & sentit Villielmus in Rubione in 1. d. 41. qu. 1. art. 1. & art. 2. conclus. 1.* Hanc vero sententiam suadere possunt testimoniis, & rationibus, quibus disputatione illa probavi, electionem ad gloriam factam fuisse ex meritis gratiæ præiis.